

MISSIONES.

De carum frequentia in Regno Neapolit.
vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 8. Sept. 1745
(Bull. r. t. XVI. p. 315.).

MITRA.

1) Abbatibus.

a) Extra suas Ecclesias.

Vd.: *Cassinenses; Usus Pontif.*

Non licet Abbatibus Titularibus, habentibus jurisdictionem quasi episcopalem cum usu mitrae et baculi, deferre mitram extra proprias Ecclesias per Dioeceses Ordinariorum absque indulto sedis apostol., nec sine nec cum licentia Ordinarii. n. 934 die 2. Aug. 1631.

Non licuisse nec licere Abbati s. Benedicti Terrae Nursiae extra propriam Ecclesiam incedere cum Mitra. n. 1338 die 3. Aug. 1641.

Non licere Abbati s. Laurentii Reatin. extra Ecclesiam deferre baculum et mitram in processionibus. n. 2063 die 12. Junii 1660.

b) Materia.

Abbati s. Salvatoris Ord. Cisterciens. Clusinae utenti mitra pretiosa, S. C. resp.: Serventur decreta Alex. VII. de anno 1659. n. 3781 die 10. Mart. 1708.

Cf.: *Usus Pontifical.; Mitra Dignit. et Canon.* (materia)

c) In Processione.

Occasione Processionis SSmi licet Abbati Monasterii s. Sepulchri Parmen. post se deferre facere per Clericum mitram cum velo. n. 3729 ad 5 die 22. Aug. 1705.

Ad dubium: an Abbates Ord. S. Benedicti Congreg. Militensis, status Ragusini, in Processionibus secum ducere valeant duos Clericos seu Monachos, cotta indutos, in utroque latere assistentes

pro servitio et usu mitrae et baculi pastoralis? S. C. resp.: Affirmative, ita tamen, ut praeter dictos Clericos alios ducere non possint. n. 4005 ad 4 die 24. Novb. 1731.

Cf.: *Abbas* (Processio.).

d) Vetita.

Vd.: *Usus Pontifical.*

Ad dubium: an Abbates in functionibus, quae fieri solent ab eisdem in ambitu Monasterii, ut puta in coemeteriis in die commem. Omn. fid. def., in dom. Palm. et similibus, uti possint mitra? S. C. resp.: Negative. n. 3566. die 19. Junii 1700.

2) Archiepiscopi ad benedictionem.

Vd.: *Crux archiep. ad bened.* (decr. n. 3774.)

3) Canonicorum.

a) Ad Absolutiones quinque ad fere trum.

Vd.: *Usus Pont.* (decr. Clem. XIV. de die 16. Oct. 1771; Pii VI.)

b) In Insigniis apponenda.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Bened. XIV. pro *Urbini*. §. 1.; *Clem. XIV.* pro *Capit. Cath. Arimini* decr., Pii VI.); *Mitra Canon.* (in missa et vesp. — decreta Pii VII.)

c) Materia.

Vd.: *Mitra Dignitar.* (materia); *Usus Pont.* (Decr. Clem. XIV. pro *Canon. Cath. Arimini*; decr. Pii VI.); *Mitra Ep.* (Mater.); *Mitra Ep. titul. ass.* (Mater.)

d) In Missa et Vesperis etc.

Cf.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 17—19; n. 4863; decr. Clem. XIV.; Pii VI.)

Toti Capitulo Cathedr. Panormitanae uti licet mitra, Episcopo non celebrante sed absente, etiam sede vacante. — Singulis Canonicis extra Ecclesiam in-

vitatis, non praesente toto Capitulo, non licet uti mitra. — Canonicus, si solemniter celebrat, debet incensari et manus abluere coopertus mitra, praesente sive absente Archiepiscopo. — Canonicus celebrans non debet stare coopertus mitra, dum Archiepiscopus induitur vestibus s. aut ascendit solium. — Canonicus Diaconus, cantaturus Evangelium, altero Canonico celebrante, non debet et simul ipse uti mitra. n. 3052 ad 1—7 die 22. Apr. 1684.

Pius PP. VII.

In summo apostolatus fastigio meritis licet imparibus constituti ad statum ecclesiarum, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, animum jugiter intendere ac sacerdotibus in eis Altissimo famulantibus prospicere eorumque dignitati et honorificentiae, prout rationi consentaneum esse in Domino arbitramur, consulere non desistimus.

Cum itaque, sicut per dilectum filium Nostrum Antonium felicem Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum Cardinalem Zondadari nuncupatum metropolitanae ecclesiae Senensis ex concessione et dispensatione apostolica praesulem Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Capitulum et Canonici ipsius Metropolitanae sub titulo beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae, eadem ecclesia, in qua sex Dignitates et octodecim Canonici existunt, antiquitatis laude, templi majestate, patrimonii amplitudine, sacrarum suppellectilium copia, cleri probitate et doctrina, populique devotione et frequentia ita floruerit et floreat, ut superioribus difficillimis temporibus cum nihil de vetusta sua gloria exciderit tum eo major evaserit, quo firmior et constantior cleri populique universi Senensis in fel. rec. Pium PP. VI. praedecessorem Nostrum illuc a notis tempestatibus compulsus exstitit fides,

devotio, pietas, cumque plurimi virtutibus, meritis et amplissimis dignitatum gradibus insignes viri ex eisdem Capitulo gremio prodierint, ac praeterea ipsa civitas Senensis per plurimum sanctorum ac etiam aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum mater fuerit et alrix, non exigua splendoris et ornamenti ad ipsam metropolitanam fieret accessio atque divinus in ea cultus populique devotio majora in dies susciperet incrementa, si exponentes praedicti intrarum decore donentur, Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignareremur,

Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Dignitates et Canonicatus in dicta metropolitana ecclesia Senensi obtinentibus praesentibus et perpetuis futuris temporibus tam in civitate quam in dioecesi Senensi et absente eodem Antonio Felice Cardinale praesule seu pro tempore existente Archiepiscopo Senensi in missis, vespers ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum palmarum et fontis baptismatis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra ex tela alba uti libere et licite possint ac valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus, eisque in suis armis seu insigniis gentilitis mitra apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 12. Jan. 1802.

(Bull. r. Continuat. t. XI. p. 281.)

Pius PP. VII.

Quantum dignitatis, splendoris et venerationis ipsa sacra ornamenta oculis animisque Christifidelium ingerant optime sciens Apostolica Mater Ecclesia in templis magis conspicuis, ubi major est populi frequentia, nonnunquam insignia, quibus soli pontifices in sacris ministeriis obeundi uti solent, a praecipuis earundem ecclesiarum ministris deferenda concessit.

Cum itaque, sicut dilectus filius Noster Antonius Felix Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Zondadari nuncupatus, ex concessione et dispensatione apostolica metropolitanae Ecclesiae Senensis praesul Nobis nuper exposuit, saecularis et, ut asseritur, insignis Collegiata ecclesia sub titulo Visitationis beatae Mariae virginis vulgo di Provenzano Senensis civitatis templi amplitudine, populi frequentia, Dignitatum et Canonicorum numero, pietate et scientia ita splendeat, ut uni metropolitanae ecclesiae in civitate praedicta cedat, praeterea nulli, cumque ejusdem collegiatae *Praepositus*, qui est prima ex quatuor ibi existentibus dignitas, cappa magna utatur ad instar Canonicorum ipsius metropolitanae ecclesiae Senensis, ad christianae devotionis et divini cultus incrementum valde conduceret, si, ut metropolitanae praedictae Canonici, ita etiam *prima collegiatae hujusmodi Dignitas* mitrae decore donetur, Nobis propterea idem Antonius Felix Cardinalis praesul humiliter supplicavit, ut moderno et pro tempore existenti *Praeposito* dictae ecclesiae in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur, qui singulari benevolentia gratique animi affectu universam prosequimur civitatem Senensem ob ejus singularem in fel. rec. Pium PP. VI. praedecessorem Nostrum illic calamito-

sisimis temporibus commoratum fidem, constantiam et devotionem, supplicationibus hujusmodi libenter annuere volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, moderno et pro tempore existenti *Praeposito* Collegiatae hujusmodi de Provenzano in perpetuum, ut ipsi tam in civitate quam in dioecesi Senensi, etiam absente eodem Antonio Felice Cardinale praesule seu pro tempore existenti Archiepiscopo Senensi, in missis, vespers ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu supplicationibus, benedictionibus seu supplicationibus, candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra ex *tela alba* uti libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus eisque insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 12. Jan. 1802.
(Bull. r. Contin. t. XI. p. 282.)

Leo PP. XII.

Strenuus adsertor jurium Ecclesiae osorque maculae omnis ac turpitudinis, quae speciem illius laederet, sanctus Gregorius VII. praedecessor Noster, quum Guiscardi Apuliae ducis virtute e cruentis manibus ereptus esset eum obsidentis Henrici, Salernum contendit solemniter ritu sacraturus ecclesiam, quae tunc sancti Matthaevi apostoli exuviis tantummodo illustrabatur, deinde vero ipsius etiam Gregorii spolio mortali ditata est. Quo quidem tempore, ut archiepiscopalem ecclesiam tam illustri in urbe constitutam et apostoli reliquiis insignem peculiari decore Gregorius afficeret, gestandae mitrae privilegium illius Canonicis contulisse fertur; Lucius vero III. praedecessor

pariter Noster suo diplomate indultum ejusmodi ratum habuisse narratur. Accidit autem, ut quoad usum mitrae et aliorum id genus insignium, quae aliqui ex privilegio gerunt, felicitis recordationis Pius VII. praedecessor itidem Noster constitutione edita quarto Nonas Julii anni superioris decretum approbaverit praepositae ecclesiasticis ritibus congregationis, quo hujusmodi privilegia quibusdam arctantur legibus, dignitati Episcoporum maxime consentaneis. Jamvero quum earum sanctionum nonnullae usus quosdam ac mores evertant, qui de mitrae gestamine apud Canonicos Cathedralis Salernitanae ecclesiae jam dudum obtinent, venerabilis autem frater Archiepiscopus Salernitanus haud secus ac ipsi Canonici, quidquid ea de re apud illos consuetudine inolevit servari discipiat; idcirco consuetudines illas suas Piana constitutione improbatas Nobis Canonici exposuerunt demissisque precibus postulaverunt, ut eas sartas ac tectas, quod ajunt, Nostra auctoritate atque indulgentia servemus.

Nos vero dilectos filios oratores peculiari prosequi beneficentia volentes, ratione habita assensus venerabilis fratris Archiepiscopi Salernitani, concedimus et indulgemus, ut praeter ea, quae ex Piana constitutione quoad mitrae usum Canonicis Salernitanis licent (nam de reliquis pontificalibus ornamentis non est agendum, quae nunquam eis apostolica haec Sedes impertit) Canonici diaconi, quum assistunt ritu augustiore sacrificantibus Archiepiscopo vel Dignitati vel Canonico presbytero, utantur mitra, non tamen dum canitur evangelium. Item ut Dignitas et Canonici mitra, exornentur non solum, quum Archiepiscopi vice, aut illo cum mitra ac pluviali assistente, solempne sacrum faciunt, sed quotiescunque solempni sacrificio Deum colunt. Item ut illis mitrae usus minime sit

interdictus, quoties divinam rem solempniter faciunt ad expiendam animam sive defuncti Archiepiscopi sive Canonici, quumque dies anniversarius eorum obitus solempnisque expiationis recurrit. *Item ut capite Canonicorum in ferebro jacentium tumuloque, qui extruatur anniversariae expiationis die, mitra possit imponi.* Cavendum autem erit, ne Canonicorum cadavera eo cum ornatu sepulturae tradantur. Et haec quidem Salernitanis Dignitatibus atque Canonicis *extra legis praescriptum* concedimus, quia ita a consuetudine inductum esse contenditur ab eo tempore, quod hominum memoriam excedat. Praeterea quia ab annis hinc quadraginta in eorum Canonicorum collegio mos invaluit, ut quum aliquis ex Canonicis vel Dignitatibus solempni ritu ac mitra utens sacrificiat, ei assistant, praeter Canonicum presbyterum pluviali indutum ac mitra tectum, duo etiam Canonici e presbyterorum ordine, sed qui diaconi ac subdiaconi tunc officio fungantur, ac nihilo secius mitra teguntur, eum morem servari et retineri permittimus. Quae tamen omnia privilegia, hoc illis collata diplomate, intra cathedralis ecclesiae limites tantum iis utenda ac fruenda largimur, minime autem extra illius fines, exceptis supplicationibus sacris, quae instituuntur, facto initio procedendi supplicatum a cathedrali ecclesia, quaeque in illam desinunt.

Decernentes insuper has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere iisdemque Dignitatibus et Canonicis, eorumque successoribus eorum causa, quae de usu mitrae sunt expressa, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere; ac irritum

et inane si secus super his a quocumque auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae die 4. Junii 1824.
(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 64.)

Pius PP. VII.

Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt, peculiaria insignia deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque decorationes excitati internarum virtutum splendore lucere conentur in domo Domini.

Cum itaque, sicut dilecti filii moderni quatuor Dignitates et quatuordecim Canonici cathedralis ecclesiae Liparensis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, vetustissimorum praesulum sanctitate, nunc ibi Altissimo famulantium sacerdotum probitate et doctrina ita floreat, ut una ex praestantioribus finitimarum regionum ecclesiis habeatur, multum splendoris ad eam accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem Cathedralis Dignitates et Canonici nova aliqua insigniori decoratione ornentur,

Nos praemissis causis adducti eisdem Dignitates et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonice praememoratae Cathedralis ecclesiae Liparensis, ut ipsi in civitate et dioecesi Liparensi in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu publicis supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis eccle-

siasticis functionibus, in quibus sacra indumenta adhiberi oporteat, *mitra alba* uti libere ac licite possint et valeant apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus eisdemque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 28. Julii 1818.
(Bull. r. Contin. t. XV. p. 112.)

e) In Processione.

Cf.: *Processio* (cap. tecto etc.); *Mitra Dignitar.* (in process.); *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 22); *Instructio Clem. S. XXI.* n. 11); *Usus Pont.* (decr. Clem. XIV. pro Cap. Cath. Arimini die 16. Oct. 1771.)

Canonici Ecclesiae Aniciensis non possunt in solemnitate Corp. Chr. mitram tamquam adornamentum in capite deferre; abusus est tollendus. n. 2984 die 13. Junii 1682.

Se una volta che sia accordato ai Canonici della Metropolitana l'uso della Mitra senza restrizione possano questi Canonici far uso della Mitra istessa, e portarla nella Processione, ed allorchè uno di essi fa la funzione, ed ha indossato il Pluviale, ancorchè porti la Reliquia di qualche Santo?

S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Mitrae usum in casu cohibendum ad tramites Constitutionis s. m. Pii Papae VII.: *Decet Romanos Pontifices.*“

Atque ita rescripsit. n. 5085 ad 1 die 27. Febr. 1847.

Se alla Solenne Processione del *Corpus Domini* essendo tutti i Canonici vestiti pontificalmente o con Pluviale, o con Pianeta, o con Dalmatica precedendo il Baldachino sotto il quale vi sono i Ministri, ed il Celebrante portante il Santissimo Sacramento, possano e debbano i Canonici Mitrati, che procedono il Baldocchino portare in capo la Mitra, ovvero la Mitra la

debba portare un Chierico, che gli stia a fianco?

S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Posse per se deferre manu sine ullo Ministro.“

Atque ita rescripsit. n. 5085 ad 2 die 27. Febr. 1847.

4) Dignitariorum.

a) Ad Absolut. quinque ad feretrum.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Clem. XIV. 16. Oct. 1771.)

b) Extra propriam Ecclesiam.

Invitatis vel alio modo accedentibus Dignitatibus Metrop. Sypontinae ad aliam Ecclesiam exemptam, sive non, sive Capitular ter sive se junctim, sive intra civitatem sive extra et in Dioecesi, mitram esse interdicendam. n. 2456 ad 3 die 15. Sept. 1668.

Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. in visitationibus et velationibus Monialium factis de commissione Archiepiscopi uti non possunt mitra. n. 4224 ad 10 die 29. Jan. 1752. Vd.: *Usus Pontifical.* (praecipue decr. Clem. XIV. 16. Oct. 1771.)

c) Materia.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 1856; 4585; 4593 ad 8, 10; n. 4621; 4649 nota; 4696); *Mitra Canon.* (materia); *Mitra Ep.* (mat.); *Mitra Ep. titul. ass.* (materia.)

Ad dubium Canonice mitratorum Cathedr. Panormitanae: an mitra debeat esse, uti hactenus, ex serico damasceno an ex oloserico ormisinio, cumque frangiis aureis? S. C. resp.: *Ex tela.* n. 3052 ad 10 die 22. Apr. 1684.

Ad dubium: An Canonici, qui ex speciali privilegio uti possunt Mitra auriphrygiata, uti etiam possint Mitra

argentea tela contexta et listata ex auro?

Et Emi P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Negative et in omnibus ad mentem. Mens est quod videatur particulariter de privilegiis competentibus Canoniceis, quibus concessa sunt Insignia Pontificalia ad effectum edendi Generale Decretum,“ n. 4585 ad 4 die 20. Apr. 1822.

NOTA GARDELLINE AD HOC DECRETUM:

Triplex est Mitrae species, ut habet Caeremoniale Episc. *lib. 1. cap. 17.* Una, quae pretiosa dicitur, quia gemmis vel laminis aureis vel argenteis contexta, altera auriphrygiata: tertia simplex ex serico damasceno vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis seu frangiis et vittis pendentibus. Sed dispositio Caeremonialis de triplici Mitrae specie respicit dumtaxat Episcopos, quibus licet unam alteramve adhibere, veluti exigunt actiones: Canonice vero et Dignitates, quibus ex privilegio Mitrae usus concessus est, simplicem tantum gestare possunt ex tela, quin ipsis prosit contraria consuetudo adhibendi nobilitatem. Nam *ad Dub. 10.* in saepe laudata Panormitana, videlicet: *An Mitra esse debeat, uti hactenus, ex serico damasceno, an ex holoserico ormisinio cum frangiis aureis?* S. C. resp.: *Ex tela:* Sed quoniam in casu proposito Dignitates et Canonice Baresenses speciali gaudent privilegio adhibendi Mitram auriphrygiatam, hac uti poterunt ad formam Indulti, quin sibi licitum arbitrentur aliam assumere et gestare ex tela argento contexta, auroque listata, Privilegium quippe stricte est accipiendum, interpretandum et exequendum, prout est literaliter concessum.